

plectimur, lucidius rutilet in effectu, ecce quod te in nostrum familiarem domesticum et secretarium specialem hylari mente duximus admittendum amplectendumque ulnis favoris et gracie specialis. Mandantes tibi et precise volentes, quatinus quandocumque nos ad suscipiendum sacrum imperii dyadema ad partes Italie perceperis proficisci, indilate nostre accedas presenciam maiestatis, nobis tue sinceritatis industria in tocius reipublice obsequiis serviturus.

264. Item de eodem.

Fecunda tua nobis indicata devocio, qua nos et Rom(anum) imperium veneraris, serenitati regie dignum favore te prebuit et gratiam tibi nostre celsitudinis uberem vendicavit. Dum enim honoris imperii fervidum zelatorem te noscimus, dignum censemus et congruum rationi te familiarium et devotorum nostrorum tanto familiarius aggregari consorcio, quanto pre ceteris ad culmen nostri honoris fervencius coaspiras. Ut igitur te nobis acceptum non inaniter gratuleris, ecce quod te in familiarem nostrum domesticum liberaliter et libenter duximus admittendum, volentes te re, nomine et honore, quibus ceteri familiares et magnitudinis nostre domestici perfruuntur, in curia regie maiestatis inantea perfrui et gaudere. In cuius rei etc.

265.

Indissolubilem devocionis et fidei vestre nexum, quo nobis estis astricti, diligencius intuentes presumimus et verisimiliter opinamur, quod ad nullum erroris devium obliquati in observancia fidei vestre erga nos perstiteritis hactenus stabiles et constantes. Propter quod de nullo^a vos ad presens perfidie seu indevocionis scrupulo arguentes universis nostris fidelibus presentibus inhibemus, ne ob cuiuscunque notam excessus, quo vos ingratos aut noxios regie maiestati facere potuistis, usque ad futurum adventum nostrum ad partes illas in aliquo vos offendant, ut tunc cum presentes fuerimus, fidei vestre meritis plenius inquisitis, secundum quod vos invenerimus ambulasse iuxta hoc, erga vos inobliquabilem nostre mentis rectitudinem dirigamus.

268.

Religiosus et discretus vir t(alis) confrater vester, quem ad nostram presenciam destinastis, singulos ecclesie vestre

1) Folgt 'ad' getilgt T.